

1.
a
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.



1739.

1. Albinus, J. Henricus: Collegii jurisconsultorum . . . Decanus: . . . ad Dignitatem inauguralem (Christophori Sigismundi Guntneri) inserta. f.
2. Babinellus, Gebhardus Christianus: Ord. Juridici. -- Decanus: Lectori Generali d. p. 1. (ad Dignitatem inaug. Johannis Fridrici Tackbusch inserta)
3. Berger, Jo. Guilielmus, Jc: De rebus inerserialibus.
4. Bose, Georg Math.: Otia Wittenbergensia Artico-physica.
5. Brades, Henricus: De Cicerone, jurisconsulti lectu ac interpretate speculatione in suis de inventionibus libris.
6. Braetius, Joannes: De iustitia facultatis adpetitivae inferioris et superioris.
7. Carstadius, Fr. Benedectus: De ficta necessitate scabiorum in causa criminali, quae delegatur Committariis Principis.
8. C. Cellius, Christoph. Ludov.: De sermone maritali cum uxore testamenti faciens causa 2. Suppl.



9. Crellius, Christoph Ludov: Quando officester de testa- 16
 mento transigatur una inspectis tabulis
10. Crellius, Christoph Ludov: De usufructu praesertim vobis
 iuris 17.
11. Crellius, Christoph Ludov: Utram Liberi actione quasi
 Calumniarum veritiones parentum inofficiosos rescire
 possint. 18
12. Crellius, Christoph Ludov: De origine et virtute
 juris non scripti. 19
13. Hamaccius, Christianus: Inis iudicarij Saxonici
 racionem ad negata feminarum forensia
 spectantem . . . tractatur. 20
- 14⁹²⁶ Hoffmannus, Fr. Gust.: De decanis et decanibus
 28 cent. 21
15. Hoffmannus, Fr. Gust.: Disputationes publicae ex
 historia Germanica . . . indicit et ab eis. — eundem
 22
 23
 24

16. Haffmannus, Fr. Guilielmus: Ad concordatum Hen-
rici I et Callisti II de investitura episcoporum et abba-
tum . . . Disputabit

17. Kraussius, Fr. Godsp.: De juribus atque effectibus
simultaneae investiturae in feudo mere heredi-
tariis

18. Leyserus, Augustinus: Ord. iudiciorum decano: lectorum
solentium (ad disputationem in auz. Michaelis Gottpart

~~Widuker's insit tal~~
~~18. Leyserus, Augustinus~~

19. Leyserus, Augustinus: De veneficio vulgo Vergiffenes
oder Vergeben. Dfs. Wittenburg 1739

20. Leyserus, Augustinus: De residuis.

21. Leyserus, Augustinus: De repta.

22. Leyserus, Augustinus: De appellatione in causis
criminalibus ex iuribus Romano, Canonico, Germani-
cicis

23. Leyserus, Augustinus: De parricidio

24. Schubert, Fr. Ernestus: De haeresi phitosophica

28. Specht, Christianus: De stabulis, canponis, taber-
nis et hospitibus mercenariis

^{a. b.}
29. Worms, Philippus, Gullius et Borsam, Francus Guelicum: Dis-
sertatio historica, qua de Siluris et Vigiliis . . .
et potissimum illius in hunc ceteros anathemate
narrationes quosdam Baronii . . . examinan-
tas proponunt.

10. GVILIELMVS HOFFMANNVS,
D. ET HISTORIARVM PROFESSOR

DISPV TATIONES ¹⁸

PVBLICAS ¹⁷³⁹

EX ¹⁵

HISTORIA GERMANICA

IN AVDITORIO MAIORI HABENDAS

INDICIT

ET

AD EAS BENEVOLE AVDIENDAS

OMNES QVI LITERIS BENE CVPIVNT

QVA DECET OBSERVANTIA

INVITAT.




VITEMBERGAE

TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

5

GUILIELMVS HOFFMANNVS
D. ET HISTORICARVM PROFESSOR
DISPVATIONES
PVBICAS
EX
HISTORIA GERMANICA
IN AVDITORIO MAIORI HABENDAS
INDICIT
AD EAM ENNEVLE HABENDAS
OMNES QUI LITTEIS REBRE CVRANT
CVA DEBET OBSERVARI
INVITAT



HAERLEMI, CVM VIVIANI
LIBRARIJ, IN AEDIBVS
MDCCLXXIII

liget
erint
praet
strun
possi
ad ex
fore
dem
gicom
com
nega
parte
nam
strae
natac
sensu
re, a
re, d
tic





Qui paruo sed electo ingeniorum eminentium agmini palaestram publicam dux, vt voluerunt, aperio, primum quibus consiliis & armis illa cohors mea velitari decreuerit, exponere necessarium duxi. De historiis disputatum iri, iam hinc vnusquisque inteliget, quod optimi commilitones meum sequi constituerint vexillum. Germanorum autem res gestas exteris praetulerunt, vt patriae honos habeatur, & bellum nostrum etiam in hac parte pium sit. Vt libere pugnari possit, obinebitur, si campus commodus & vtrique parti ad excurrendum opportunus eligatur; talem vero nostrum fore spero, quoniam de argumentis disputabitur non quidem nouis ac reconditis, aut ingrata nodorum chronologicorum & genealogicorum difficultate intricatis, sed de communibus & quidem ambiguis, ac inter aientium & negantium dissidia suspensis, interdum etiam ex vtraque parte speciem habentibus, qualia in historiis nostris vti-
nam essent pauciora! Res agetur, vt fert scientiae nostrae conditio, monumentorum & auctorum publica priuataque fide, quae quando vacillare, & in opinionum dissen-
sensu quodammodo vtriusque partis patrocinium suscipere, ac velut praeuaricari videbitur, tunc testes producere, & examinare, & testibus opponere, ac inter ipsos
A fidei

fidei certamen excitare, denique vtra pars vincat, & ex quibus causis fortior esse videatur, definire, labor & contentio meorum erit. Sic altius insident animis veritates historicae, & rerum gestarum narrationes, quae a legentibus & audientibus facile capiuntur, sed facilius effluunt, tali agitatione, quae minutatim omnia momenta scrutatur & expendit, memoriae non mandantur, sed insculpuntur; quem fructum exercitationum nostrarum, quamquam ostendi possunt alii & multiplices, vnum sufficere putarem. Et commendabit ille exercitationes nostras, ut speramus, tam actoribus, quam audientibus, nisi qui forte de rebus historicis disputationem accuratam institui posse negent, quod in eis non liceat continuis syllogismis altercari, & illa toties iactata veritatum inter se connexarum catena spiritum aduersariis intercludere, & *in forma*, quod aiunt, disceptare, vel ut plerumque fit, cauillari. Nos simplicitatem, primam historiae doctorem, & quae comes eius indiuiduus est, iucunditatem conflictibus nostris circumfusum iri confidimus, & hanc praerogatiuam, definiendi quid verius sit, illis scientiis relinquentes, quae huius seueritatis simul & felicitatis capaces sunt, in historiis, quid verosimilius esse videatur, modesti perpendemus. Ita per praecipua historiae Germanicae veteris & mediae capita decurrere animus est, in nouam autem euagari, temporis velitationibus nostris destinati breuitas, & iners bruma, quae nos tunc ex publico campo iterum in hyberna coget, haud patietur. Esset enim alias in hac postrema historiae particula satis liberalis & benigna disceptare cupientibus materia, ac si vllus scientiae nostrae locus prima certaminum irritamenta praebet, profecto recentes rami ceteros plerosque hac in re vbertate sua vincerent. Mihi certe res proximis duobus saeculis gestae iucunditate

tate quadam lectionis ceteras historiarum partes anteire, cultoribus autem veri & certi religiosi saepe plus negotii facessere, quam remotae verustatis annales, videntur. Et quando de posteritate cogito, animo praevidere mihi videor, eam olim ex lectione historiarum aetati suae proximarum plurimum quidem delectationis capturam esse, sed simulac res accuratius examinaverit, fieri aliter non posse, quam ut pleraque parum tuta esse sentiat. Quapropter quando nunc commilitonibus meis mappam mitto, & eorum more, qui ad certamina literaria signum dant, quaedam ab instituto non aliena praefari debeo, hanc meam persuasionem, veram an fallacem, colore tamen haud destitutam, nimirum *partem historiarum Europae postremam ceteris longe iucundioveram, sed, si excusiat, incertissimam esse*, paucis edifferam.

Quando vero novas historias plus voluptatis quam veteres afferre contendo, de lectorum turba loquor, & ad multitudinis iudicium, non ad priuatam aliquorum persuasionem respicio. Nam ut nulla res ex omni parte sua, nulla omnibus placet, ita procul abest a me, ut hanc lectionis voluptatem tantam, quanta in rebus humanis nulla est, fore putem, nimirum quae mentes omnium raperet & occuparet. Erunt omni tempore, quibus antiquitates scrutari, rerumque ac hominum memoriam prope sepultam vita donare, & in veterum annalium siccitate molestissimam viam emeriri, longe suavius videbitur, quam inter sui saeculi homines habitare, & rerum, quae nos propius tangunt luce, varietate ac vtilitate, frui. Quos antiquitatis amatores, tantum abest, ut reprehendam, ut potius eos ad restituendam & conseruandam historiarum feriem & integritatem necessarios, & illi caelesti, quae literas

ras quoque nostras tuetur ac regit, providentiae gratias agendas esse censeam, quod mentium nostrarum appetitum, quo in literas ferimur, adeo varium esse voluerit, tantae sapientia diuersissimis formis aptauerit, ne vlla scientia, quantumuis abstracta, & voluptate destituta, & ad obtinenda vitae commoda inutilis, cultoribus prorsus careat. Quid enim si vnus disciplinae amore caperemur omnes? aut de quarundam artium dignitate & praerogatiuis persuaasi, ceteras fastidiremus? aut in prolixis scientiis, velut sunt historiae nostrae, ad vnam omnes partem conuerteremur? Nonne orbis ille doctrinarum se mutuo sustinentium & veluti catena quadam constrictarum vna parte neglecta collaberetur? Quare ingeniorum nostrorum impetus tam multiplex esse debuit, quam appetitus palatii, vt mentes nostrae similiter ac gulae, quod aliae fastidiunt, & fere vt venenum fugiunt, aliae in deliciis haberent, magno animantium bono, quae infelicissima forent, si vnum omnia cibum appeterent. Bene igitur est, quod ars nulla tam difficilis sit ad discendum, nulla tam orba praesidiis & fructibus externis, quales scientiae quaedam sectatoribus suis afferunt, nulla denique a multitudine tam contempta, quin semper a nonnullis & quidem ardentem ametur. Ita nec historiis antiquis, quoad literae erunt, ac ne quidem obscurissimis earum primordiis, cultores deerunt, qui forsitan vicissim nostrorum temporum res gestas, quippe non tanta diligentiae laude eruendas, despicient, vt sunt, qui amores difficiles multisque artificijs & ambitu obtinendos malunt, quam Venerem facilem parabilemque.

Multitudini, omnibusque illis, qui otii sui oblectamentum in historiarum lectione quaeruat, non posse non
res

res gestas temporum nostrorum nostrisque proximorum multo iucundiores lectu videri, quam antiquas, contendo; quod etiam magnus ille historiarum artifex T. Lilius de lectoribus operis sui praeuidit. Nam origines urbis, & originibus proxima, & in vniuersum ea, quae iam tunc, vt antiqua, fastidiri poterant, minus voluptatis lectoribus praebitura, eosque ad noua festinatos esse haud dissimulat; mihi vero iudicium tanti viri, qui hominum ingenia & studia, & qua voluptate maxima pars duceretur, optime cognouit, cum ipsum opus suum eorum gustui tam perite accommodauerit, ad historiae nouae iucunditatem asserendam sufficeret. Itaque quando Lilius temporum suorum hominibus imperii magnitudini & urbis splendori assuetis Romam nascentem, & adhuc humilem, deosque fictiles, & in vniuersum ea, quae quondam sub rege Numa, sub consule Bruto gesta sunt, non multum arridere posse iudicauit, numquid nos aliter in historiarum nostrarum lectione animatos esse sentimus? aut posteris alium gustum, quam communem illum, qui nouitatis voluptate utilitur, datum iri putamus? Sumimus omnes impetum ad historias recentiores discendas ab ipsa natura, magnumque illud, sed periculosum hominis bonum, amor, quo nos & nostra complectimur ipsi, etiam huius cupiditatis fons, quamuis remotior, est. Hinc plerique notitiam temporum, quorum quantulacunque pars ipsi uiuant, antiquioribus praefereunt, & quamuis ita humili conditione sunt, vt nec suo nec suorum nominibus in historiis locus esse possit, malunt tamen de suis patrumque temporibus aliqua legere, quam de alienis, & aetatis proximae felicitate vel calamitatibus, quarum vel fructus vel incommoda ipsi sentiunt, magis afficiuntur, quam lectione veterum, vbi semper

per oportet aliena vice gaudere vel commoueri. Sic ruda & exaltorum aedificiorum areae, aliaque belli vestigia, quae oculis nostris adhuc subiecta sunt, descriptionem obsidionis & praelii, ex quibus remanserunt, multo efficiunt iucundiores, quam esse potest similis narratio antiqua, tamen scite composita; & ut illa voluptas ceteris praestare creditur, quae plures hominis sensus afficit & demulcet, ita veteres historiae, quae solum legentis animum oblectant, nouis, in quibus interdum etiam oculi & aures, quod agerent, inueniunt, vel ideo posthabebuntur.

Praeterea omnes, qui literarum nomine censentur, interno quodam sensu cognoscimus, quod ad amorem scientiarum cupiditate laudis acuamur; neque ad discendas historias nouas tot homines, interdum etiam illiterati, immo mulierculae concurrerent, nisi eiusdem fructus certi ac praesentis spe prouocarentur. Nam in sermonibus & conuiujs & circulis, nisi tempus alea vel adhuc vitiosius perdat, quid frequentius est, quam de rebus bellicis & ciuilibus nouissimis colloqui, & plerumque valide ineptire. Inter hos congerrones si quis nouarum historiarum cognitione succinctus caput extollat, & quod hodie nunciatum est, cum rebus paullo ante gestis componat, principumque foedera, vires, iura, studia & consilia circumstanti coronae suae recenscat, & fiduciam de futuris coniectandi ostendet, non dubito, quin plurimi audientium huius viri similes fieri malint, quam hominis cetera doctissimi, sed qui harum rerum ignarus in sermonibus suis nihil aliud

Quam

*Quam Cannas, Mitbridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosque Muciosque*

velut non sui saeculi homo creparet. Itaque ne deformi silentio nobis obmutescendum sit, sed suffragium nostrum in his comitiis, quae homines otiosi de salute terrarum orbis quotidie habent, ferre valeamus, currimus ad historiarum recentium studia, & ut quisque aliquid audiendo vel legendo arripuit, sermones nostros hoc condimento aspergimus. Quod quia nonnullis ad laudem & commendationem profuit, & occasionem placendi opportunam ac prope quotidianam dedit, nemini mirum esse potest, hoc studiorum genus ostentationi comparatum amatores multos inuenire. Illi etiam, qui non iactationis causa, sed honestissimo desiderio ducti ad historias legendas accedunt, nimirum ut meliores inde redeant, & animum bonis praeceptis imbutum nunc etiam exemplis confirmet, & vicissitudines non solum priuatorum verum & rerum publicarum surgentium ac intereuntium cognoscant, externa vero bona, quibus animi mortalium infatuantur, plurimum exitio fuisse, ex historiis discant, & hinc optimae scientiae beneficio sibi munimentum aduersus cupiditates & vramque fortunam circumdent; illi, inquam, qui hac mente indui annales & historicos euoluunt, non sine causa potius in legendis nouis morabuntur, quam in antiquis. Feriunt enim animum & impellunt vehementius exempla recentia, & quae apud nos haud ita pridem fortiter, religiose, prudenterque dicta vel facta sunt, ad imitandum magis accendunt, quam antiquitatis nocte tecta virtus, quae, quod aliis temporibus nata sit, nostris haud ita feliciter exprimi vel aemulando attingi posse creditur.

No-

Nostrae vero aetatis vel haud procul remotae historia tamquam schola praesens & ad captum viresque nostras accommodata, fructuosior hac in re semper erit, certe suffugio carebit, quod imitatores pigri oblati praeceptorum virtutum fulgidissimis exemplis quaerere solent, quando alia tempora mores alios decere, veterumque tristem ac tetricam disciplinam laude quidem dignissimam, sed, ut nunc viuimus, inutilem esse reponunt.

Multum denique commendationis historiis recentibus inde accedit, quod in eis lectores, qui non solum facta, verum etiam consilia, non solum magnos eventus, sed & quibus modis ad maturitatem finemque suum peruenierint, scire cupiunt, facilius sitim suam restinguere possint, quam in antiqua & media. Haec enim historiarum praecipua dos est, res magni momenti non ita describere, ut tantum vestigia, & velut quaedam earum lineamenta ostendantur, sed ut plenius, & quoad fides patitur, minutatim omnia exprimantur, adeoque lectoribus talia scire avidis haud secus satisfiat, quam picturis spectantibus, qui specie hominis sollicitate elaborata, & in qua non solum omnia membra, verum & omnes articuli & prope singuli pili apparent, magis quam rudi figura delectabuntur. Parum voluptatis haberent historiae, si vix annalium more tradi possent. Nam fatigatur lectoris animus sicca factorum narratione, & quando de magnis negotiis nihil praeter eventum commemorari videt, ipse secum tacite de causis tantarum rerum agit, ubi vero viam ad eas inuestigandas sibi praecelsam esse sentit, taedio corripitur, & res inexplicatas legere fastidit. Quare annales velut historiarum ossa, non quam aspectum suauem praebebunt, nisi carne operiantur.

tur, & corporis omnibus membris expressi speciem & colorem accipiant. Neque historicus lectoris fauorem & studium sibi polliceri potest, nisi eum semper suspensum & arrectum tenere sciat, res gestas autem ita commemoret, ut etiam consilia de magnis rebus agitata recenseat, & salua vbiuis fide ostendat, quibus modis & quam dextre ad exitum res perductae, vel quam sinistre administratae sint, quid in quouis negotio vel virtuti, vel fortunae, vel culpae hominum assignandum sit, quae ingenia, qui mores principum & eorum, quibus principes amicis amicabusque vsi sunt, fuerint, quando vel prudentia, vel constantia, vel fides defecerit, ut saepe res parua dictu maximas res in transuersum egerit, & quae sunt huius generis infinita. Qui hanc artem scribendae historiae callet, & ad opus suum perficiendum bonam fidem & satis abundantem ac liberalem materiam affert, ille historiam bene compositam, & quod ad delectandum magnam vim habet, scite connexam procudere potest, neque lectorem suum, ut fit in annalibus, huc & illuc ad cognoscendos euentus magnos rapiet, sed per viam praeparatam ac velut semper in re praesenti a primordiis negotii vsque ad metam perducet; neque tigna, ut faciunt auctores annalium, ad aedificium suum solummodo congeret, verum ea quoque iunget, ac ita combinabit, ut nec commissura pelluceat. Simili artificio fabularum Romanensium auctores, qui saluo pudore leguntur, placere didicerunt. Illis enim ius fingendi latissimos campos aperuit, omnem narrationis bene compositae pulcritudinem explicandi, & quoniam res, quas describunt, sub eorum manibus nascuntur, crescunt, inuoluuntur & enoluuntur, facile potest etiam mediocriter peritus fabulae filum tam apte ducere, ut nullibi lector haesitet,

B

aut

aut cur ita res euenerit quaerat, aut hunc vel illum locum sibi nondum satis explanatum videri, moneat. Ea quidem felicitas historiae nulli contigit, cuiuscunque sit aetatis, vel auctoris, cum etiam in vberissima semper aliquid sit, quod scitu necessarium, & tamen nesciatur, semper aliquid, vbi scriptorem religiosum vela contrahere, lectorem vero haesitare oporteat. Inde vero consequitur, vt eam partem scientiae nostrae ceteris iucunditate praestare dicamus, quae ceteris plenior, & monumentis ad componendam narrationem, quae lectorem auidum satiet, instructior est; neque dubito, quin his diuitiis ad delectandum necessariis historia noua mediam & veterem vincat.

Ac medii quidem, quod dicimus, aevi scriptores nostris recentibus litem de praerogatiua non adeo periculosam mouere posse puto. Caruit infelix aetas, vt ceteris literarum ornamentis, ita praesertim historiae scribendae peritia, quod satis experimur, qui officii ratione ad legendos hos tenebriones ducimur, & vt ex luto quaedam non inutilia colligamus, quotidie a molestissima lectione lassum recedimus. Nam vt de dicendi genere barbarie infuscato, de odiosa in rebus frivolis recensendis diligentia, in negotiis vero magni momenti solertia vel stupore, de infano ac ne quidem dissimulato partium studio, de credulitate ridicula, & quod non paucorum vitium est, de impudentissime mentiendi temeritate nihil dicam, illud vnum lectionem eorum ingratam reddere posset, quod bene narrare nesciant. Qui enim potuissent? quando maxima pars eorum annales contexerit, in quibus, vt incommoda cetera taceam, res diu tractas, & plurium annorum decursu ad maturitatem perductas,

ductas, oportet in frustra secare, & suam cuique anno partem tribuere. Illa vero longe grauior peruersitas est, quod paucissimi reipublicae notitia tincti, aut instrumenti ad componendas historias necessarii copia instructi fuerint, sed plerique ex rumoribus vulgi sua conscripserint, & officio historici, si ea tantum, quae tunc igno- rante nemo poterat, memoriae proderent, satisfactum esse crediderint. Hinc eorum historiae raro cohaerent, nec satis docent lectores, & quod consequitur, multo minus delectant. Atque ut historia scite composita lim- pido flumini, quod leniter profluit, comparari solet, ita de his dicerem, quod guttaim cadant, sed guttis, quae aliquid fordium vehunt, adeoque nec oculos nec aures delectare, nec suum restinguere possunt. Quid enim le- ctori molestius? quam quod in hac parte historiarum sub- bito gentes & nationes oriri & magnam terrarum orbis partem peruagari & euanescere videt, ita tamen, ut nec vnde venerint, nec quo peruenerint, intelligat. Quid ille continuus bellorum strepitus, qui hos annales per- sonat, & ex simili causa, quod nec quibus modis excita- tus sit, nec qua pacis lege conquieuerit, interdum vero ne quidem penes quem victoriae fortuna steterit, doceamur, multo ingratis- simus est. Et haec quidem intolerabilia vitia sunt, quae non solum historiae suauitatem au- ferunt, verum etiam intellectum. Nam ut ornaretur nar- ratio, ut consilia de magnis rebus agitata, ut artificia au- lae, quae temporibus barbariei nomine notatis mini- me defuerunt, ut occultae molitiones & machinationes, quibus arduorum negotiorum momenta versa sunt, com- memorarentur, ne poscendum quidem erat ab homini- bus, quorum maxima pars procul ab aula latuit, & li- bellos suos cellam redolentes ex monasterii consepito in- pu-

publicum promittit. Quare ex his parum voluptatis capi potest, ac ne quidem ex scriptoribus recentibus, qui nostro tempore historiam medii aevi ex eiusmodi chronicis componere, eamque deterfo rudioris saeculi squallore comtiorem reddere studuerunt. Ne optimus quidem artifex in materia tam parum benigna elaborare aliquid potest, quod illis, qui vnice delectationem quaerunt, placeat, nisi forte religionis, qua historicus obstringitur, immemor, ornamentis adscititiis maciem extollere, & annalibus ficcis ex ingenio suo, quantum opus est, vt libentius legantur, addere velit. Sed hoc eorum erit, qui lectoribus incautis imponere malunt, quam displicere. Poëta, liberrimus faber, ex quouis ligno Mercurium facit: historicum res, vt accepit, reddere, & quando in materiam rudem & indigestam incidit, praeter ordinem & dicendi nitorem nihil, quod suum dicere possit, adiacere, coniectandi vero licentiam & adhuc vitiosorem fingendi temeritatem longe fugere oportet. Itaque cum historiae medii aevi, tamen si sordibus purgentur, modo ne fucio illitae sint, ex multis causis iucunditate careant, vitabunt delicati nostri haec horrida & confragosa loca, vt in amoenioribus desiderare possint, vel si quid ex his etiam saeculis discere audeant, & deuorato lectionis taedio ad historiam nouam propius accedant, non multo aliter animati erunt, quam qui ex molesta nauigatione terram vident.

De rudibus igitur saeculis facile, vt dixi, triumphamus. Sed si Graeciae ac Romae historicos, ingentia & ab antiquitate consecrata nomina, cum scriptoribus temporum nostrorum compararem, magnam inuidiam subire oporteret, tantum abest, vt plane praerogatiuam quandam

dam & hanc quantulamcunque in delectando positam, nostris vindicare ausim. Neque inter eos nomen meum profiteor, qui saeculi sui deliciis infatuati, Mezeraeum, Stradam, Guicciardinum, Auilam &c. antiquis historicis anteponunt, quale quid ab illis tantum expectandum fuit, quibus etiam Homero & Virgilio Capellanus potior visus est. Tenent, si quid iudico, veteres principatum in arte historias componendi, primumque locum vel id eo, quod praeclarissimum exemplar scribendi praebuerint, occupabunt, quamdiu aequum habebitur, magistris gratias referre. Constat singulis singularis suus decor, & ut alii copia & vbertate, ac molli iucundoque succo, alii concinna breuitate, alii sententiarum decoribus praestant, sic illae variae scribendi virtutes inter Graecos & Romanos historicos ita dispersitae sunt, ut vnaquaeuis in eo, cui contigit, summa & inimitabilis esse videatur. Itaque procul est a me, ut laudis certamen inter antiquos & novos excitem, & in eo singulos singulis componam, cumque a clarissimis viris haec magna controuersia iam pridem mota sit, ego, si vox mea debilis in tanto eorum conuicio exaudiri posset, veterum historicorum causam in plerisque contra novos agerem.

Sed hoc eo non valet, ut a sententia mea, qua historias nouas ceteris omnibus iucunditate praestare asserui, recedam; neque mirum videri debet, quod opus ab artifice separem, & historicis antiquis praestantiam & praerogatiuas suas relinquam, historias autem ipsas, quas de nostris temporibus ex plurium auctorum & monumentorum coniunctione obtinere possumus, luce, varietate ac suauitate sua veteribus praeferam. Reperendum igitur est, quod supra dixi, primum velut gradum iucunditatis

ditatis esse, si sit historia, quoad fides patitur, plenissima, neque lectorem oporteat crebro haesitare, vel, quod suo sciendi desiderio non satisfiat, conqueri. Hoc obtineri potest, & facilius quidem, si ad vnam historiae partem ornandam & illustrandam multi auctores, tametsi mediocres, concurrunt, & quicquid explorauerint in commune conferunt, quam si hoc saxum voluit vnus scriptor ingenii virtutibus eminentissimus, sed qui nec tantam materiam congerere, nec tam accurate minuta quaeuis rimari potuit, quam tot oculi manusque, tametsi debiliores. Sic intelligi volo, quod dixi, praestare veteres scriptores, historiam vero nouam, non a tam magnis, sed a longe pluribus auctoribus, & prope ab inenarrabili quadam scribentium multitudine, quae pro viribus, quicquid potuit, inquisiuit, ita illustratam esse, & a tabulis publicis, nec non a principum eorumque amicorum ac legatorum literis, quae magno numero in manus nostras peruenerunt, tantam lucem accepiſſe, vt nunc studiosus historiae veteris ac nouae in hac nostra non ex vno, sed ex coniunctis hisce auctoribus plus videat & intelligat, quam in illa, meliusque omnia connectere possit, quam in veteri, & vt ipse campus antiquae historiae grandibus illis, quae magnam speciem & religionem habent, roboribus, noster autem recentior arborum depressiorum copia, sed quae densitate sua voluptatem ambulacrorum praebent, ornatus esse videatur. Praeterea veteres auctores vniuersas nationis cuiusdam imo plurium populorum res gestas, vel aliquot saeculorum memoriam, saepe paucioribus voluminibus complexi sunt, quam auctores noui vnus hominis vitam; ac si in altera duarum tabellarum eiusdem magnitudinis pictor latissimos campos & saltus, in altera vnum hominem depingat, quin huius figura o-

mii

mini parte absolutior & expressior fieri possit, quis ambigit?
 Consilia vero de rebus magnis, & quicquid ad euentus ex
 causis suis intelligendos facit, tantum quidem abest, vt
 praetermiserint veteres, vt potius exemplo suo praecun-
 tes hanc bonae historiae legem melius sanxerint. Sed
 quoniam in his enarrandis, vt vbiuis aliàs, consueta bre-
 uitate sua vtuntur, interdum etiam tales res orationibus
 fictis includunt, sit, vt saepe apud lectores, qui eas ita dictas
 non esse certo sciunt, hac eloquentia, sine dubio eximia,
 sed non optime collocata, multum suauitatis perdant.
 Immo illa ipsa concisa breuitas, quam plerique veteres
 historici, etiam qui sunt vberissimi, sectantur, illud ma-
 gnum, sed non satis apertum acumen, illa denique ini-
 mitabilis, sed peritis tantum, hoc est, paucis in-
 tellecta dicendi virtus effecit, vt numerus eorum, a qui-
 bus in deliciis habeantur, paruus sit, & Cicero in libro,
 quem Bruti nomine inscripsit, etiam Thucydidi a multis
 saeculis amatores desuisse testetur. Tantis auctoribus
 nisi contingant lectores, qui linguam perfecte calleant,
 & notitia legum ac morum illius populi, cuius
 res gestas legunt, iam aliunde succincti sint, praeterea
 qui non vnaquavis difficultate deterreantur, nec minus
 cupide quam patienter legere, ac vbi necesse sit, morari
 didicerint; ceteri sane, quibus haec desunt, optimum
 saepe scriptorem non quidem vituperabunt, sed fastidi-
 ent, eumque magnum virum fuisse, forte quod peritos
 ita iudicare audierint, fatebuntur, sed quia otio suo de-
 lectando inutilem credunt, potius eos, qui se ad mensuram
 lectorum submittant, & a festinantibus intelligi possint, in-
 manus fument. Accedunt denique, grauis historiae vete-
 ris, sed citra scriptorum culpam contractus morbus, hia-
 tus illi magni, quos iniuria temporum hinc & inde, ac
 inter-

interdum sine spe remedii fecit. Sunt haec omnibus nota, sed tanto molestiora, quanto tristius spectaculum in corpore pulcherrimo, quam in deformi, exhibetur, si aliqua sui parte mutilum sit. Illis vero vulneribus integritas historiae nostrae, illisque lacunis perpetuus ac cohaerens recentium nexus, iucunditatis laudem praeripit; quamvis, ne nimium hac praerogativa gloriemur, nobis cogitandum sit, quod aliquo fato, in literis aequae ac in rebus publicis vario, futuris saeculis, quando & nos antiqui appellabimur, fieri possit, ut quicquid nobis de studiorum adiumentis & illalibrorum multiplicatione blandiamur, multi tamen ex auctoribus nostris pereant, & sublata historiarum integritate, voluptas, quae sine ea consistere nequit, haud secus ac in antiquis historiis perdatur, vel illis, quos iniuria temporum fecerit, hiatibus absorbeatur. Itaque ut, quod dixi, contraham, veteres Graecos & Romanos scriptores in arte historica, & in dicendi virtutibus longe citra aemulum esse puto, nec quemquam ex nostris scriptoribus eminentissimis ad T. Liuii lacteam vbertatem, ad decoram Sallustii breuitatem, ad illas virtutes Thucydidis, qui bellicum canere, vel Xenophontis, cuius ore Musas locutas esse veteres dixerunt, his temporibus affurrexisse censeo. Sed si citra contentionem auctorum partes historiarum inter se comparemus, veterisque ac nouae ambitum & conditionem intueamur, huic nostrae iucunditatis praerogatiuam tribuere haud vereor; non quod a peritioribus, sed quod a pluribus tradita, & multorum diligentia magis, quam vetus, illustrata, immo minutius quoque, sed sine quibus res magnae interdum intelligi non possunt, suppleta sit, praeterea integritate gaudeat, vel certe lacunis paucis laboret, & lectorem sciendi cupidum

dum raro destituat, adeoque facie gaudeat expressiore & absolutiore, quae ipsa, quoniam recens est, viuere & spirare videtur. Sic salua, quam antiquis debemus, reuerentia suauitas historiarum nostrarum vincet, veteresque auctores semper quidem tamquam magnas & purissima luce fulgentes faces venerabimur, sed eas ingens antiquae historiae spatium non tam perfecte, quam haec minuta & innumerabilia lumina campum historiae nouae, collustrauisse contendemus.

Haec pro historia noua, verbosius forte, quam opus erat. Nam quando eam multitudini plus, quam ceteras, placere contendimus, poteramus ad id, quod plerique legendo sentiunt & experiuntur, prouocare, nisi opportunum visum esset, in huius suauitatis causas, tamen non valde reconditas, inquirere. Succedit altera pars quaestionis, in accusando posita. Dixi enim, me post assertam iucunditatem de lubrico & sublesta multorum aetatis nostrae historicorum fide, quam interdum lector etiam ex turba, modo ne supinus, sed inter legendi delicias veritatis quodammodo curiosus sit, deprehendere possit, disputaturum esse. Itaque de laudatore factus accusator, ad leges historiae scribendae, ex quibus agerem, respiciens, sane mihi auctores recentes notissima & vtili sanctione, vt mirum euentus cum causis suis, & res gestae cum abditis consiliis in narratione combinentur, ita videntur abusi, vt contra alteram illam, sed supremam, ne quid falsi dicere audeant, frequenter fecisse deprehendantur. De ipsius legis tanto consensu sancitae sententia nihil dicam. Satis constat, si facta nuda recenseantur, mollem & iucundum succum historiae detrahi, nec voluptatem tantum lectoribus, sed & magnam vtilitatis partem perire, siquidem hi-

C

storia

storia, generis humani magistra, non solum quid, sed etiam quibus modis actum sit, docere debet; ipsos vero scriptores huius officii parum memores & narrationibus, aridis contentos, sine spe laudis inter rudium annalium conditores reponi. Verum lex optima & salutaris occasionem peccandi multis praebuit, & praesertim illis, qui officio suo nimis cumulate satisfacere, nec intelligere voluerant, non esse legem observandam, nisi quoad fide salua liceat. Hinc illud acre ac nimium abditas & arcanas causas eruendi & omnia scite connectendi studium, quod in historiis primum coniectandi licentiam, & deinde mentiendi temeritatem produxit. Quis autem aliter interpretari legem potest, quam quod historicum causas commemorare oporteat, si possunt explorari, non quas coniector somniauit; & quod consilia non minus, quam euentus, ex monumentis fide dignis sumenda sint, & si haec deficiant, tacere ac haesitare praester. Nunc quia semel hac in re condimentum historiae quaeri coepit, attingitur liberalius, quam oportet, genuinum an arte factum sit, susque deque habetur, modo historia, ne lectores eam fastidiant, condat. Quis autem vel in vnus tantum principis vita negotiorum illustrium momenta omnia & secretas ac in conspecto cubiculi latentes causas sibi comperta esse saluo frontis pudore profiteretur. Vbertus Foliet in libello de ratione scribendae historiae eleganter disputauit, historiam ne tunc quidem, si vel primus inter amicos & ministros principis, praecipuus ille negotiorum auctor & motor, omniumque arcanorum gnarus, ad eam scribendam optima fide animum adpulerit, in hac parte perfectam fore; quod innumera sint, in quibus eum alienis oculis vidisse, alienis manibus egisse oportuit, quae & nunc aliena fide referenda sunt. Quid enim de rebus cum alio prin-

principe actis dicer? numquid huius principis cubiculum
 aequè introspectit, quam sui, ut omnia, quae desideraret
 lector, momenta posset afferre? Quid de bellicis negotiis?
 an plus narrabit, quam exercitus dux aut alii ad eum re-
 tulerunt? Et quoniam belli mentionem fecimus, quid su-
 spicioni mendacii magis obnoxium, quam illae prolixae
 historicorum nostrorum de praeliis narrationes, quas
 ipse, qui exercitum duxit, ex multis causis accurate compo-
 nere non posset, ut saepe belli duces de se testati sunt. Ita-
 que in vberissima historiae nouae materia auctor omnibus
 copiis ad scribendum necessariis instructus saepenumero
 haesitabit, & narrationem suam hiare intelliget, sed patie-
 tur, nec vacua loca, religione officii retentus, ingeniose
 supplebit. Quam rara vero in auctoribus nostris igno-
 rantiae confessio? quasi verendum esset, ne hoc sacrificio,
 quod veritati facerent, auctoritas imminueretur, & opi-
 nio decrederet. Ac ferendum, immo boni consulendum
 esset, si vir ingenio & rerum ciuiliu[m] notitia praestans
 de causis magnarum rerum, quas inuestigare non potuit,
 coniecturas afferat, modo se talia non scire, sed putare, le-
 ctorem monere velit. Quem enim coniectantem luben-
 tius audiremus? quam eum, qui negotium, quod describit,
 accuratius, ac alius quisquam, examinavit; aut quis igno-
 ra melius odorabitur, quam ille, cui eiusdem rei ceterae
 partes, quoad inuestigari possunt, quam optime cognitae
 sunt; velut artifex in machina, tamen si non sua, si mutila sit,
 quae rotae deficiant ad motum, continuo indicabit. Ve-
 rum ut dixi, simulac historicus coniectorem ager, nisi prae-
 dixerit, contra officium fecisse videbitur. Nunc pluri-
 mi nostrorum nullo discrimine res exploratas & coniectu-
 ras eadem orationis fiducia recensent; & raro lectorem mo-
 nent, vbi veritates opinionibus suis interfertis combinaue-
 runt,

runt, scilicet ut vnus operi color sit, & lector vbiuis me-
rum, aqua nullibi admista, bibere sibi videatur. Hoc gra-
ue ac perniciosum vitium recentes auctores plus, quam
antiquos vrget, cum optimus quisque veterum histori-
corum saepissime, vbi haereat, confiteatur. Prae-
terea si vel huius culpa antiqui non prorsus absoluere-
ntur, tamen in ea non adeo facile deprehendi possunt,
quam noui, quo fit, ut lectores historiae antiquae, licet
ea non sit verissima, tamen tranquilliores sint, quod dubi-
tandi causas non inueniant, sine causa vero dubitare stul-
tum sit. Contra nostri auctores non optima vbiuis fide
scripsisse facilius argui possunt. Nam ecce, aliqui nationis
cuiusdam res gestas a primis originibus vsque ad nostra
tempora scripserunt, qui, cum historiam populi ve-
terem & mediam ex auctoribus & monumentis in manibus
omnium positis collegerint, & simulac conferantur cum
hisce fontibus, ex ingenio suo multa suppleuisse, veterum-
que siccitatem laticibus ex suo fundo ductis irrigasse depre-
hendantur, numquid eos in historia noua religiosius ver-
fatos esse putabimus? & si eos deprehensionis metus in illa
historiae parte, in qua statim temeritatis suae conuinci pos-
sunt, non continuit in officio, quid homines ita animatos de
nouis temporibus, vbi se ex monumentis adhuc arcanis, vel
ex ore principum virorum scribere iactant, auctores esse suspi-
cabitur? Accedit, quod nostra aetate vnus principis, vel v-
nius belli, vel cuiuscunque negotii historiam auctores multi
describant, & ex alterius indicio alterius mendacia, vel con-
iecturae pro re certa venditae, redargui possint, nisi fides vtri-
usque forsitan ita dubia sit, ut neutri potius, quam alterutri,
credere tutius esse videatur. Veteres ob simile peccatum
non adeo facile reprehendi possunt, quod vnum factum
raro

raro multi auctores, quorum alter alterum refelleret, commemorauerint; & vt in historiis siue aliquid verum sit, siue quod falsum esset, ostendi nequeat, perinde est, ita in rebus antiquis forte saepenumero mendacium auctori credimus, quia nemo alius ipsi contradixit. Quidni ergo etiam ex hac parte ambiguitatem historiae nouae liceat accusare?

Tales turbas nobis excitauit abusus legis optimaе, quae res gestas & euentus ex causis suis deducere ac illustrare iubet. Neque hoc mirum, quando etiam saluberrimae leges ciuiles malis hominibus saepenumero peccandi occasionem dederunt, velut illa Lex Papia Poppaea Romanorum, quae, vt ciues multiplicarentur, patribus plurium liberorum praemia constituit. Post eam enim latam crescebat aduulteriorum peruersitas, & mariti foedum in vxoribus suis lenocinium exercebant, vt praemia proposita, quae liberis legitimis frigidi obtinere non poterant, captarent aduulterinis. Sic nostra lex ad amplificandas ac locupletandas historias praescripta, innocens quidem, sed causa tamen fuit, vt auctores res gestas, quando legitimis ornamentis extollere non poterant, lenociniis coniecturarum, & narrationibus aduulterinis corrumperent. Illud maximum malorum est, quod interdum adeo callide finxerint, vt vix remedium, quo posset occurri, supersit, & huius labis adeo multi suspecti sint, vt remedium detegendi fraudes, tametsi aliquod esset, omnibus adhibere infinitus labor foret. Nam quid innumerabilibus illis commentariis, *Memorias* vocant, faciendum sit, iam pridem quaesitum est, nostro autem tempore, quo studium & ardor multorum in legendis talibus libellis plurium editionem prouocat, multo magis quaerere oportet. Cum iudicio legendos esse, plerique monuerunt, nempe qui non satis, quid

moneant, perpendunt. Aliter enim hoc praeceptum intelligi nequit, quam ne temere credamus omnia, id quod in cuiusvis historici lectione obseruandum est; quousque vero credendum sit, iudicio ad discrimen veri & falsi construendum instructo definiamus, id quod facilius suaderi, quam effici potest. Iudicare de libris saepe non minus difficultatis habet, quam scribere; de historicis vero sententiam ferre, nimirum si non solum dicendi genus, ordinem, & similia, quae pertinent ad cultum externum, verum etiam fidem examinare velis, illud quidem longe difficillimum puto. Fides non prima statim fronte diiudicatur, sed post longam demum inquisitionem ac collationem deprehenditur, neque poterit, an salua sit, ab alio, quam qui rem melius vel aequae ac historicus sciet, decidi; & tamen a lectoribus postulamus, vt cum iudicio legant. Quo magis odii censorum genus audax, qui hunc fallacem, illum sincerum, hunc inter optimae fidei auctores recipiendum, illum familia submouendum esse, intolerabili fiducia pronunciant; quasi tanta res digiti crepitu confici possit, aut parum ad conscientiam censoris pertineret, si lectoribus, vt magna pars est, securis, historicum, qui forsitan antea in neutram partem apud eos valebat, sententia sua, quamuis melius sit, commendaret, vel e manibus bonum excuteret. Ecquis tibi vero hunc mendacem esse renunciauit? Nimirum ab illis deflexisse deprehensus est, qui rem multo verius narrauerunt. Vnde autem illos priores verius dixisse certo constat? forsitan quod receptae sint auctoritatis. Ast bene multos historicos magno iudiciorum concentu pro veracibus habitos falsum dixisse, quot exemplis didicimus? Demus autem, quod sine cauillatione negari nequit, historicum mendacem plerumque detegi posse, quis vero potest, nisi rebus, quas descriptas legit, ipse interfuerit,

rit, sinceritatem alterius tuto laudare, vt laudent tamen multi, & interdum bibliothecarum & catalogorum auctores, nulla ratione iudicii sui reddita. Neminis virtutibus maligne detraho, & bonos viros, quoad vlllo modo licet, omnes, quibuscum viuimus, habendos esse contendo; ast simulac censores & iudices historicorum, praesertim illorum, de quibus nunc loquor, agimus, tunc inter tot insidiantis malitiae specimina omnibus dialecticorum regulis de fide testium adhibitis vix consequemur, vt elogium bonae fidei tuto cuiquam tribuamus. Atque si sinceritatem interdum callidissime simulatam pro genuina habeamus, nec in omni lectione memores simus, quod nullibi magis, quam in hac via, per ignes cineri doloso suppositos incedatur, nescio, annon iusto indulgentius laudata scriptoris auctoritate lectoribus iudicii nostri fallaciae credulis plus noceamus, quam auctores ipsi narrationum & coniecturarum figmentis. Inter has igitur Memoriarum similibusque libellorum delicias, quarum etiam limen saepe lubricum est, & frons falsum auctorem mentitur, ipsum vero corpus ex meris anecdotis, ex principum & potentium virorum ore, & ex eo, quod auctor longo aulae & negotiorum vsu explorauerit, compositum esse iactatur, quid tandem veri & certi cultor religiosus agat? siquidem omnibus credere stultum, omnes vero propter aliquorum culpam abiicere, cum & boni auctores sine dubio intermixti sint, inutile foret. Nimirum cauebit sibi, quantum poterit, sed, si quid iudico, nimis saepe experietur, quod non satis possit, & regulas vulgares de fide testimoniorum examinanda citius multiplicis defectus arguet, quam efficaciter applicabit, in vniuersum autem inter hos scriptores facilius inueniet, quos fugiat, quam quos sequatur.

Maius

Maius adhuc vitium nostris temporibus non quidem natum est, sed in historias perulantius, quam olim, irrupit, noua & inexpectata & prope mira dictu narrandi studium, quo simplicitas rerum gestarum per se minus placitura tragice ornatur, & iam non coniecturae interferuntur, sed prope poetica nitor veritati circumfunditur. Erunt, quoad historiae scribentur, homines, qui libellos suos nulla utilitatis ratione habita tantum voluptatis instrumenta esse volent, ac ne lectores sui cito lassum finem crebrius respectent, vel plane librum delicati abiciant, ius sibi datum esse censebunt, particulas historiae ad delectandum minus idoneas illito nouitatis colore at tollendi, ac voluptati fictionum ope accommodandi. Nostris autem temporibus, quibus vnam historiam tot auctores diuersi describunt, haec primaria contentio est, ne quis ita rem narret, vt alter; neque eos multum curare videmus, an meliorem & tutiorem, quam antecedentes, viam elegerint, modo alia sit & iucundior, qualis tamen plerumque esse non possit, nisi veritatem insano suo placendi desiderio proderent, sibi que ac vanitati suae plus professe mallent, quam posteritati. Veterum aliquos eadem macula notatos esse constat, & rider Cicero Clitarchum atque Stratoclem, quod mortem Themistoclis, quam Thucydides simplicitate historica narrauit, tragico tumore descripserint, & vt eam insolitam ac minus vulgarem facerent, Themistoclem taurum immolasse, & patera sanguinem excepisse, eoque potu mortuum concidisse, finxerint. Sed plerosque antiquorum, qui poetica licentia historias contaminarunt, tempus absumsit, & forsân hic ipse contentus, qui talem peruersitatem, simulac detecta est, presso pede sequitur, interitum eorum maturauit; quod fatum, etiam nostrae aetatis auctoribus tam insolenter lasciuientibus impre-

imprecaremur, si vota nostra deos suos habitura esse sperare liceret. Et licet omnino sperare, postquam recentibus exemplis didicimus, tam parum religiosos historicos, quantumvis placeant, prima quidem fronte lectores decipere, rerumque nouitate, vt circulatores, turbam hominum ad spectandas merces suas facile conglobare, sed eam parafacta scriptoris leuitate cito diffluere, & tanto grauius indignari, quanto impudentius credulitatem suam deceptam esse intelliget. Sic Varillafius, Courtillius, & eorum similes, quorum libelli, cum primum prodirent, non legebantur, sed deuorabantur, adeo, vt auidi harum rerum amatores eos adhuc manuscriptos impatientia prope furiosa alter alteri eriperent, mox, postquam hos flosculos tam impense quaesitos & laudatos rigidi censores excuserant, ceciderunt, & magnum, sed fraude quaesitum applausum longe grauior contemptus exiunxit. Indignantur lectores, simulac se delusos esse comperiunt, & iure indignantur. Neque enim potest foedior insolentia cogitari, quam quod eiusmodi audaculus non solum homines aetatis suae, verum etiam posteritatem, ridiculae credulitatis arguat. Nam nisi lectores parum cautos sibi promississet, tam impudenter scribere ausus non esset. Itaque non solum auctoritatem & nomen historici perdet, verum etiam infra fabulas, quas dicunt, Romanenses detruderetur, quamuis ipse aliquid veri habeat, harum vero auctores nihil. Nam hi fictas narrationes promittunt, & quod eas ingeniose praestiterint, laudantur; ille veritatem dicere professus, sed in ea praestanda perfidus, a lectore, quem irreuerenter habuit, optimo iure vicissim contemnitur. Ac vellem, vt tales historiarum corruptores tam certo deprehendi semper & vbiuis possent, quam certum est, deprehensos poenas daturu-

turos esse. Sed mirificas artes & latebras habet calliditas, & parum ille legit, aut nimium sibi tribuit, qui sic celeriter & agnosci, & abstergi posse putat. Sorbierius, homo sagacissimus, de se testatus est, quo diutius legeret historicos, eo magis inclinare animum, ut se potius ad fabulas Romanenses legendas conferret; & nuper extitit, qui hoc eius iudicium non insuavi libello latius explicaret. Hi mecum calliditatem a nonnullis tam artificiose compositam & vestitam esse putant, ut religionis & fidei speciem citra spem dignoscendi mentiatur, praesertim autem in errorem ducat lectores ex turba, parum idoneos harum rerum iudices. Nam ut aliqui secure inter has insidias in utramque aurem dormiunt, ita nonnullos cuiusvis paulo laetioris narrationis pulcritudo mouet, ut rem incredibilem narrari & fidem violatam esse quiritentur; ubi vero ab historico foeminas introduci, & illis in rebus gestis aliquas partes assignari vident, tunc plane ex hoc vno indicio fabulas amatorias per fraudem admisceri contendunt; quasi huius sexus in magnis negotiis nulla essent consilia & artificia, cum tamen forte tam crebra sint, ut potius historiae vitium haberi debeat, si raro, quam si aliquando commemorentur. Infinita de hac scribendi & iudicandi peruersitate dici possent, si breuitas instituti pateretur. Ego quando illud vitiosum placendi desiderium, de quo disputauimus, illam in historiis nostris elegantiae ac nitoris causa fingendi audaciam considero, nulla re magis commoueor, quam quod eos praesertim auctores hac labe adpersos esse videam, qui ceteroquin praestantissimis ingenii dotibus ad historiam bene scribendam omnesque virtutes eius exprimendas a natura facti essent, modo minus amabiles videri, & meminisse voluissent, historicum
ad

ad veritatem posteris dicendam sacramento rogatum nulla re nisi ordine bono & dicendi generis munditie ac nitore materiam suam ornare posse, vbi vero adscitiis ornamentis ludere gestiat, ea quidem narrationi suae non tam colorem datura esse, quam potius pro scabie habitum iri.

Illos commemoratione vix dignos cenfeo effrenis audaciae impostores, qui cum nec possint historiam scribere, nec velint, sed fabulosam narrationem poetarum ritu texere instituerint, tamen vero nomine magni cuiusdam hominis abutuntur, & fictionis suae Heroem ex historia noua sumunt, quasdam etiam res veras ex eius vita fabulis suis admiscunt, velut ille qui amores Richelii mendacissime descripsit, & similes plures. Fieri enim aliter non potest, quam vt irretiantur multi lectores & eorum, qui decipiuntur, numerus longe, quam ceterorum, qui fraudes intelligunt, maior sit, posteritas vero, de insidiis nec monita nec edocta, pessime ludibrio habeatur, vel certe olim inextricabiles lites de innumeris libris excitentur, qualem ex antiquitate habemus vnicam circa Xenophontis *Κύρου παιδείαν*, vtrum historia credibilis, an fabulosa narratio sit. Sed vt nugacia recentium quorundam impostorum scripta cum Xenophonte comparare prope nefas est, ita pedibus irem in Petri Baelii sententiam, qui contra tam perniciosas fraudes ab ipsis principibus remedia literis & posteritati salutaria potenter adhibenda, leges dandas & seuerè exercendas esse censuit. Ac vellem, vt praesertim bibliopolarum avaritia, quae huius mali causa non postrema est, coërceretur. Talibus enim libellis, qui multum falsi adspargunt historiis, pluri-

plurimumque nitoris circumfundunt, quia plerumque facilius emtorem, quam si seuera lege scripti essent, inueniunt, quaestum impigre faciunt; & quamuis merx improba vitio detecto postea iaceat, lucrum tamen vnus vel alterius editionis, quoad fraus adhuc later, distrahendae non fastidiunt. Dicit non potest, quantum detrimenti horum mercatorum cupiditas historiis nostris attulerit. Atque vt de libellis ad captandum emtorem docte confictis dicere siniam, quam multae aliae conquirendi causae supersunt. Nam ecce, simulac aliquis princeps Europae, vel eius administer, vel belli dux, rebus gestis vel infortunio terrarum orbis oculos in se conuertere coepit, bibliopola statim hominem quaerit, qui vitam eius describeret, siquidem multos esse scit, qui de vitam magni nominis, de quo tot ac tanta narrari audierunt, quaedam sibi nondum nota etiam legere cupiant, itaque nulla mora; quaeritur auctor, qui praeclarum opus perficiendum in se suscipiat, nec difficulter inuenitur. Audio enim, famem, quae olim non nisi poetas fecit, hodie nobis etiam historicos facere. Ille igitur egregius vir ad scribendam principis vitam, quam tamen scit vt ignarissimus, bibliopolae mercede conductus, alacriter manum operi admouet, & conquisitis popularium rumoribus, noua publica vel *Nouellas* dicunt, mendacissimis foliis, nec non ephemeridibus vulgaribus & aequae leuibus, quicquid de principe suo inuenit, quaedam etiam aliena, vt pagina crescat, excerpit, & vtcunque necesse ac disponit, dicendi denique genere, quod tali opere defenum est, nimirum vitis omnibus fracto, edisserit. Itaque cedro dignus liber, nouum historiae monumentum & vltimum; vel vt illi, qui historiae nomen ita profanare nolent, appellabunt, nouum inanium rumoribus & mendacioribus.

ciorum vndique conqueritorum horreum. Quae enim haec temeritas? ex inquinatissimis fontibus latices ducere, eosque pro puris venditare; ex nouis publicis, nempe narratiunculis quauis aura leuioribus, quas fama ficti prauitenaax hominibus, quid rerum geratur, sciendi avidis ad satiandam famem velut offam obicit, librum conscribillare, eumque historiam dicere; lectoribus autem, nescio quid magni expectantibus, rumores falsos bis legendos obrudere. Taceo, quam multis incommodis hoc vnum obnoxium sit, quod viuus viui vitam describat. Non sic antiquitas in historiis condendis versata est, quae optime intellexit, res, non quando geruntur & recentes sunt, sed longo tempore post, optime cognosci & tutissime tradi posse. Neque hoc nostri homines ignorant, sed librarii lucrum & famelicis scriptoris venter plus efficiunt, quam metus honestus, ne & nunc lectores multi, & olim posteritas, talibus libellis, nisi quis vindex meliora docendo commentum dispellar, turpiter decipiantur. Atque vt hos deformes historiarum abortus mittam, sane quidam historici, qui famam nominis consequuti sunt, nostra aetate in operibus suis iusto negligentius versati & longe infra diligentiam veterum esse videntur, quippe quos infinitis curis omnia inquisiuisse, ac interdum in terras & regiones, quae rerum a se describendarum theatra fuerant, peregrinatos, & omnia loca tam sedulo perscrutatos esse accepimus, vt plane in paroemiam abierit, tam sollicito peregrinari, quasi scribendae historiae causa. Quid optabilius scriptori, quam si acta publica nondum in lucem prolata, si literae ipsis regum reginarumque, & legatorum manibus scriptae, eximia futuri operis fundamenta, cum ipso communicentur; qualia obtinendi, si spem vllam habeat, nulli debet operae nullis labo-

laboribus parcere. Et tamen celebris Galliae historicus P. Daniel, cum ipsi Boiunius in bibliotheca regia mille & quadringenta volumina MSSeta, talibus cimeliis historiae suae profuturis constipata, ostendisset, postquam ea leuiter inspexerat, totum hunc apparatus fastidiuisse dicitur, inexcusabili, si res ita se habet, vt narratur, negligentia, vel si excutiendi laborem fugit, ignauia. Huc etiam illos refero, qui plus in se suscipiunt oneris, quam ferre possint, & tot ac tantas res describere aggrediuntur, quarum vniciuis, si vt oportet, inuestigaretur, vita hominis vix sufficeret. Ita quando vnus Gregorii Leti manu ex theatro Gallico in Britannicum, ex Britannico in Belgicum ducor, & tot alias Germaniae, Italiae, Saxoniae, domus Brandenburgicae, similesque historias, tot principum & potentium virorum vitas intueor, & vnum hominem prope centum volumina, quae maximam partem historias nouas illustrent, scripsisse comperio, tunc non possum non mecum cogitare, quam spissum illud volumen esse debuisset, quod idem auctor de peccatis suis, quamquam alio consilio, scribere voluit. Magna res est veritas, & diu quaerenda; atque vt se in ceteris disciplinis cultoribus suis sinceris obuiam praebet, ita in historiis per callidorum hominum fraudes & fallacias nos fugit; quo grauiore reprehensione digni sunt, qui pro ea vel vnumquemuis rumorem arripiunt, vel inquisitionem neglectis, quae haberi poterant, instrumentis, & electo nimis amplo, cuius non omnes anguli perquiri poterant, campo, perniciose omittunt.

Venio nunc ad periculosum, & quo nullus veterum laborauit, historiae nouae morbum, ex religionum discrimine contractum, cuius violentiae, si vel ceteris vitis

uis scriptores nostri vacarent, fides succumberet. Et coniectandi quidem temeritas, & fingendi perulantia, aequae ac scribentis festinatio, & in rerum inquisitione negligentia, quas culpas hactenus accusauimus, euitari possunt ab omnibus, qui se sui officii frequenter admonent; hoc autem studium partium, quod religionum dissensus excitauit, surrepit interdum etiam inuitis, & ad illud depouendum non solum cautione opus est, verum etiam animis & pectore firmo. Nam quis in his rebus verum dicere, & vt intra Troiae muros & extra saepe peccatum sit, libere narrare audebit, nisi & aduersariorum animos contra se adhuc magis exacerbari, & a suae sectae hominibus sibi nomen desertoris & proditoris partium imponi, aequo animo ferre possit. Sed iam satis plerique interno suo odio, quod in contraria sentientes conceperunt, ad corrumendam historiarum fidem accenduntur, nec opus est incitamento, vt homines aliis opinionibus de rebus diuinis imbutos, quos vexari & premi gaudent, nunc etiam sileo suo confodiant. Itaque historia nationis cuiusdam, a primordiis suis ad nostra tempora deducta, tametsi fidelis & sincera sit in rebus antiquis & medii aevi, & scriptor omnes officii sui numeros in illis remotioribus saeculis absoluisse videatur, mox, quando ad haec tempora, quibus diuersa sectarum studia incaluerunt, descendit, subita mutatione alium veluti vultum assumere videtur, & auctoris malignitate desinit in piscem formosa superne. Odium & gratia, internecini hostes historiarum, multiplici quidem occasione ac modo historiarum fidem affigunt, non facile tamen vel impudentius vel callidius, quam in causis ad religionem pertinentibus, vt quisque scriptor, vel magis efferuescit, vel astutius malignitatem dissimulat.

Hinc

Hinc si vnus regni, sed in contraria sectarum studia falsi, duas & quidem ex diuersis religionum castris emissas historias legimus, quarum auctores vehementia odii adeo excoecauit, vt caussae suae impudenter mentiendi inferuire fas esse putauerint, tunc nos non eiusdem regionis & temporis descriptionem accepisse, sed ex orbe altero in alterum translatos esse putabimus. Alii vero, qui non minus malignitatis, sed plus artificii habent, facta non fingere, reticere, peruertere, sed vix sentiente lectore adeo diuersis coloribus illinere norunt, vt eandem rem, quoad ex huius ore percipitur, plane iustam & aequam, contra, si alterum audias, summum scelus esse crederes. Fere vt in foro idem factum, de quo vtraque pars confessione sua consentit, caussidici periti circumfuso colore in suam quisque utilitatem, & in alterius partis detrimentum mutuo flectunt, veteris illius Miloniani iudicii exemplo, in quo Clodium a familia Milonis occisum esse nemo negabat, vtrum autem credibilis esset Clodium Miloni, an Milonem Clodio insidiatum esse, omnibus eloquentiae dolis & artificiis disputabatur. Sic historici recentes, quasi ad defensionem sectae suae auctorati, non semper notabili quadam insolentia, sed machinis occultis, quibus plus nocent, rem agunt, omnesque ingenii neruos eo intendunt, vt alterius sectae opinionibus speciem perniciosi erroris induant, vt studiosos libertatis conscientiarum, rebelles, vt eorum oppressores, veritatis & publicae quietis vindices, & vt ferrum ac faces per summam crudelitatem adhibita, legitimum & necessarium tuendae religionis instrumentum fuisse lectoribus persuadeant. Fateamur igitur, quod veterum auctorum opera his scopulis careant, & historiae nouae satum doleamus, quod eorum auctores tam deformi & quoad opinionum dissidia erunt

erunt, in emendabili vitio non solum lectoribus fucum faciant, sed etiam mutuum & inueteratum sectarum odium, quoad per historias licet, vehementius exacerbent.

Ne illorum quidem sententiae repugnarem, qui postquam Europa in tot regna & respublicas diuidi coepit, eisque de iuribus suis ac praerogatiuis infinitae lites succreuerunt, fidem historicorum inter hos nouos, sed prope inuitabiles scopulos, magis, quam olim, periclitari putant. Romani auctores non nisi duas partes, inter quas fluctuarent, habebant, rempublicam & eius oppressores, postea vero Imperatores ipsos, & eos, qui affectabant imperium; plerisque vero contigit, vt in historiis suis optimaie parti se adiungere liberum esset. Nunc tot Europae ciuitates aemulae controuersis innumerabilibus de terris & possessionibus, de haereditatum & successionum iure, de dignitate ac proëdria, & de aliis causis, quarum vel summa genera recensere difficile est, implicatae sunt, & ad earum decisionem historiae saepenumero momentum habent. Inter haec igitur lubrica discrimina, quid facere soleant scriptores historiae nostrae, cur ego dicerem? quasi quis ignoret, quantam vim habeat amor cuiusque erga nationem suam, metus principis, annua merces, & similia. Quare vel ex hae vna causa citius sapientem Stoicum, citius illum ex omni parte perfectum oratorem, quem Cicero depinxit, sed desiderauit, inueniemus, quam historicum, vt virtutibus ceteris, ita & animo ad hac pericula satis obfirmato, praeditum. Erit hoc votum irritum, quamdiu honestum habebitur, pro patria mentiri, & historico stilo, qui soli veritati sacer esse debet, nunc ad tuenda ciuitatis nostrae iura, non semper aequissima, tamquam telo uti. Ferendus autem

E

autem

autem esset morbus in hac hominum indole incurabilis, & excusandus auctor, qui forte, quod nationi suae inutile, vel plane turpe, quamvis verum esset, scribere noluit. Ast quod, ubi non est necesse, sola iactationis causa vanissimus homo patriam extollat, & quas ipsa nunquam affectavit praerogativas, excogitet, & in historia principibus suis ita blandiatur, ut eos potius tale quid aegre ferre, quam poscere, credibile sit, illa vero prorsus intolerabilis impudentia est. Parco exemplis; nimis enim multa nobis offerret vel sola Germania, quae tot diversis, & ex magna parte litigiosis ordinum nostrorum iuribus ac studiis, multiplicem occasionem praebet, ut historici fidei vim faciant, interdum etiam iniussi. Hoc quoque nescio, an inter veteres auditum sit, & aetate nostra sine rubore audiri possit, fuisse inter historicos recentes aliquos tam humilis & abiecti animi, ut veritatem iam a se scriptam, & editis libris vulgatam, postea, quando eam viris potentibus displicere, & ex hac causa mercedem annuam antea solutam sibi negari animadverterunt, spe illam recuperandi, suppresserint, & in iterata operis editione mutatione tanto foedior, quanto manifestior erat, corruperint. Sic metus & gratiae studium certatim historias affligunt, & spem, immo prope desiderium, veritatis obtinendae auferunt. Nam in quibusdam argumentis huic voto cordati lectores ita renunciant, ut historicos, non investigaturi quid verum sit, sed quid narrari soleat, euoluant. Sic praesertim animati sunt, quando victorias & clades recentes descriptas legunt. Ac Romanae iactationi de victoriis suis facilius credimus, quod populi, de quibus triumpharunt, nullis historiis infamiam cladis vel auerterint, vel imminuerint. Nunc in hac principum & historico-
rum

rum aemulatione prope nihil certi de his rebus sciri potest, nisi qua victoria prorsus insignis sit, vel mediocri victor strenue utatur. Alias enim partes belligerantes ipsae, postquam armis de vita & salute satis certarunt, nunc nunciis & narratiunculis de victoria disputant, historicorum vero quisque parti suae triumphum iactanti concinit, & controuersiam de re, quae sua natura parum dubii habere videretur, descriptionibus diuersissimis ad posteros transmittit.

Saepe denique mecum cogitauī, historiae veteris lectionem etiam ex hac causa minus dubitationis afferre, quam nouae, quod illius auctores eorumque vitas parum cognoscamus, huius autem scriptorum ingenia, mores, vitia & virtutes, fortunae & facultates, a nobis facilius sciri possint. Multum autem interest, vtrum noti an ignoti hominis librum legas, & quamquam in ceteris disciplinis, ater an albus homo fuerit auctor, nihil curamus, historicorum tamen lectio, nisi scriptorem, quoad necesse est, noveris, vtilitatem omnem perdet. Hinc in historia literaria, quando doctorum hominum vitas excutimus, praecipuus labor circa historicos esse debet; ceterorum enim notitia vtilis ac iucunda, horum prorsus necessaria est.

Sed quo apertius eiusmodi auctoris vita sese explicat, & quo diligentius docemur, quibus amicis & inimicis vsus sit, qua gratia principum, qua familiaritate potentium virorum floruerit, quantus ipsi aulae vsus, quae dignitas, quae merces constituta, quae facultates fuerint, quam festinauerit scribendo, vel quam cunctatus sit, quam patiens laborum, quibus animi motibus obnoxius, quam facile

facile spei vel metui cedere creditus sit; eo plus vel minus historiis eius tribuendum esse decernemus. Quam parum autem de historicis antiquis nobis constat, & quam multa de nostris; quam longe vero numerus vitiorum, in eorum indole ac vita de rectorum, virtutes antecedit. Itaque veteribus credimus, fortasse non tuto, sed tranquille, quod ignorantia rerum ad eos pertinentium suspiciones excludit, sine causa vero nemo sanus suspicatur. Sed infinitos scrupulos in historia noua vel hac sola auctoris notitia nobis iniici, experiendo animaduertimus, & simulac de scriptoribus aliquid sinistri commemoratur, mox de ipsius historiae fide suspitioni iustae quidem, forsitan tamen, ut saepe fit, fallaci indulgemus. Habes, lector, quae de historiae nouae iucunditate ac lubrico, & de vtriusque causis in medium afferre volui, ea quidem laudandi & carpendi libertate, quam spero reprehensione carituram esse. Boni viri est, nauos scientiae, cui operam dat, confiteri; quid enim honestius culpa ingenuitatis? Itaque etiam illius historiae, quae res recentes & velut ante pedes positae continet, magna vitia notemus, & si nos remedium ad obtinendam veritatem efficax quandoque destituit, inuoluamus nos sapientiae praeceptis, & quarundam aliarum scientiarum exemplo, quas simile fatum premit, nos consolemur, eumque, qui rebus humanis limites suos fixit, ingenii quoque ac disciplinis terminos certos esse voluisse, venerabundi agnoscamus.

Redeo

Redeo nunc ad optimos commilitones meos, a quibus paullisper, ut eorum velitationibus hac scriptione praeluderem, digressus sum. Atque uti ego de sinceritate historiae nouae in vniuersum quaesivi, sic illi sigillatim de fide quorundam historiae antiquae ac mediae argumentorum, quae dubiis obnoxia, & quamuis vulgaria, scitum tamen iucunda sunt, ita disputabunt, ut de dexteritate, quam in conflictibus ostendent, non solum bene sperare, verum etiam multa polliceri, & eminentes ingenii dotes, quibus cumulate ornati sunt, summumque ardorem, quo bonas artes & disciplinas complectuntur, copiose praedicare possent, nisi mihi verecundia ipsorum manum iniiceret, ac dicere gestientem retineret. Hoc permiserunt, ut qui sint, qui posthac mecum nobili palaestrae puluere aspergentur, significarem. Itaque

ILLVSTRISSIMORVM COMITVM, nec
non GENEROSISSIMORVM ac NOBILISSI-
MORVM COMMILITONVM nomina, ut forte
ducta, & ad disputandum vocata sunt, accipe. Sunt vero:

DOMINI IOANNES GEORGIVS COMES
DE SCHOENFELD.

IVLIVS GEBHARDVS COMES
AB HOYM.

IO. RVDOLPHVS DE VVOLFFERS-
DORFF, EQVES SAXO.

PHILIPPVS DANIEL POSSELT
DVRLACENSIS.

IOANNES ADOLPHVS DE PONICKAV
EQVES LVSATVS.

GVSTA.

GVSTAVVS GODOFREDVS PACK-
BVSCH, STOLPENSIS.

CONRADVS AVGVSTVS BERLAGE
IEVERA-FRISO.

Hi mecum per aliquot menses cathedram publicam in auditorio maiori occupabunt, quibus exercitationibus diem Saturni, horas vero X - XII. destinavimus. Multum autem in Vestro, Musarum patroni & amici, favore ac benevolentia positum erit. Accendet frequens confessus Vester meorum animos, & efficiet, vt eadem alacritate apimorum, arma, quibus nunc accinguntur, conferant, praelisque finitis ad postem Mineruae figant & suspendant. Scrib. Vitebergæ d. VIII. Aug.

M DCCXXXIX.




Wittenberg, Diss., 1739 (1).

ULB Halle 3
003 700 429



Sb







G V I L I E L M V S H O F F M A N N V S .
D . E T H I S T O R I A R V M P R O F E S S O R
I S P V T A T I O N E S ¹⁸
P V B L I C A S ¹⁷³⁹ ¹⁵

EX
H I S T O R I A G E R M A N I C A
A V D I T O R I O M A I O R I H A B E N D A S
I N D I C I T
E T
A D E A S B E N E V O L E A V D I E N D A S
O M N E S Q V I L I T E R I S B E N E C V P I V N T
Q V A D E C E T O B S E R V A N T I A
I N V I T A T .



V I T E M B E R G A E
T Y P I S E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I I
A C A D E M I A E T Y P O G R A P H I .

